



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Tuitiense monasterium, ex opposito Coloniae Agrippinae ad Rhenum fl.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

In hoc monasterio reliquiae S. Eliphij martyris conseruantur.

Erardus Vvinhemius cit. libro dicit hanc basilicam primò constructam à Vvarino XXVIII. Episcopo Coloniensi, pro natione Scotica: quod nunc in desuetudinem venit.

In vrbe Coloniensi sunt insuper quatuor virginum Benedictinarum monasteria, primum ad SS. Machabæos, secundum S. Mauritij, tertium S. Agathæ, quartum S. Ioãnis Baptistæ in Clusa: de quibus Vvinhemius cit. libro, & nos alibi dicemus.

*Monasterium in Brauvweiler, diœcesis Coloniensis.*

1024.

**T**emporibus Hermanni II. Archiepiscopi Coloniensis, Erenfridus Comes Palatinus & vxor eius Mathildis monasterium istud in Dei ac S. Nicolai honorem an. 1024. fundarunt. Obijt Hermannus fundator anno 1054.

*Tuitiense monasterium, ex opposito Colonia Agrippina ad Rhenum fl.*

1012.

**F**undatum id est circa annum Christi 1012. à S. Heriberti Archiepiscopi Coloniensis fratre germano, Comite Rotemburgio ad Tubarum, cuius tamen nomen ignoramus. Is in magna annonæ difficultate, ingentem

men-

mendicantium pauperum, vt inutilem multitudinem, in horreum ruri situm conuocata, incendio cum deleuisset; sceleris tanti poenitentia tandem ductus, Romam ad Pontificem iuit: à quo absolutus cum iuberetur cœnobium construere pro tanti peccati satisfactione, Coloniae fratrem Archiepiscopum conuenit, cuius consilio pariter atque auxilio in perueteri oppidulo Tuitiensi, eoq; ipso loco, vbi antiquitus *Tuisconis* primi Germanorum Regis castrum fuisse affirmant, oratorium & domum Dei condidit, in qua pietatis, & litterarum florerent studia, Deoq; rectè seruiret, & probè etiam institueretur scholastica iuuentus, Ecclesiae & Reipub. aliquando seruitura.

Hoc in monasterio spectatur tumulus dicti Episcopi Hereberti, in quo tabula plumbea inuenta est, hac inscriptione:

*Anno ab Incarnatione Domini nostri millesimo vicesimo primo, XVII. Kalend. Aprilis, Obijt Heribertus sanctae Coloniensis Ecclesiae Archiepiscopus, qui de suo proprio sumptu hoc monasterium fecit.*

*Heribertus Coloniensis Episcopus constructor huius Ecclesiae, anno incarnati Verbi millesimo vicesimo, ipsam consecrauit in honorem Saluatoris mundi, eiusque genitricis.*

Q

CAP.